



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus  
voluntate et providentia]

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. IV. Alia sanctorum Patrum testimonia

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)



vis ex parte ipsorum nulla sit ratio discriminis, inouique & idem Sol omnium sit causa; quia Deus sua providentia disponit cursum Solis, & suis legibus decernit felicitatem & sanctitatem creaturam; ita ex hominibus & Angelis alius alium operat meritis, sanctitate, & beatitudine aeternam, quamvis ex parte ipsorum; nulla eos ratio, sed causa discernat, sed Deus sua providentia, & sanctorum gratia dispositione, eos dividit inaequales facit.

## §. III.

## Celebre S. Dionysii testimonium.

Aliae aeternae & efficaces divinae voluntatis definitiones, passim docent SS. Patres, & variis nominibus insigniunt. Nam Dionysius vocat illas: *Divinas & bonas voluntates, existentium praedeterminativas, & effectivas.* Damascenus & Damascenus, *divinas praedeterminativas.* D. Thomas, *praedeterminativas.* D. Augustinus, D. Gregorius SS. Prosper, & Hilgenius, *praedeterminativas.* Dionysius Carthusianus, dicit quod Theologia vocat illas *paradigmata.* Et Marcellus illas nominat, *prescriptiones, & antedicta.*

Celebris ergo locus habetur apud Dionysium cap. 1. de divin. nomin. titulo de exemplaribus: ubi, ut advertit D. Thomas ibidem lect. 3. agit contra quemdam Clementem Philosophum Platonicum, qui existimabat Deum non esse certam rerum determinatricem, & productivam, secundum proprias rationes, sed solum secundum id quod est illis commune. Unde ponebat (inquit S. Doctor) quasdam causas secundas, per quas res ad proprias naturas determinantur; & has causas secundas, exemplaria terminat vocat. At S. Dionysius ibidem demonstrat, Deum esse primam causam particularium rerum, secundum quod sunt in propriis & determinatis naturis; & omnia esse in ipso existentia, ex ipso incipientia, in ipso custodita, ad ipsum terminata, & ab illo praedeterminata, & praedeterminata, exemplaribus divinis praedeterminatis, quae sunt quasi principia divinae sapientiae practicae, quae Deus omnia producit. Exemplaria, inquit, esse dicimus in Deo, existentium ratione substantialis, & singulariter praesistentes, quas Theologia *PRÆDEFINITIONES* vocat, & *divinas & bonas voluntates, existentium PRÆDETERMINATIVAS, & effectivas, secundum quas substantialis essentia omnia praedeterminat, & producit.* Quibus verbis expressè docet, quod sicut artifex volens domum aedificare, prius eam in mente format, & omnes ejus partes determinat ac disponit, & postmodum eam producit in re. Ita Deus tanquam supremus artifex, ab aeterno praedeterminat omnia & singula, quae in universo mundo erant futurus, & consequenter etiam actus liberos voluntatis nostrae. Unde D. Damascenus orat. 1. de imagin. citans hunc locum Dionysii, ait: *Haec imagines & exemplaria, praedeterminativas appellat Sanctus Dei munere, divinus in rebus considerandis & explicandis, excellentissimus Dionysius: omnia enim ab ipso praesentia, & sine ulla commutatione in ejus conspectu, non aliter antequam fierent, erant expressa, quam si quis velit aedificare domum, prius imaginem ac formam ipsam in animo effingit, & cogitatione completur.*

Respondet Petrus à S. Joseph in Opusculo quod defensionem Divi Thomae appellat: in hoc Tom. 1.

A testimonio Dionysii, solum explicari ideas omnium rerum, ab aeterno in mente divina praesistentes, nec ibidem ullam fieri mentionem de decreto praedeficiente rerum existentiam, vel futuritionem.

Diff. 2. sect. 5.

Sed contra: Dionysius ibi non loquitur de ideis pure speculativis, quibus res mere possibilis, in divina essentia & omnipotentia, tanquam in causa representantur; sed de ideis practicis, & representantibus res ut existentes, vel futuras: Atqui ideae practicae, & representantes res ut existentes, vel futuras, involvunt propositum, seu decretum efficacis divinae voluntatis, quo res mere possibilis transferuntur à statu mere possibilitatis, ad statum existentiae vel futuritionis, ut docet D. Thomas quest. 6. de verit. art. 6. his verbis: *Idea in Deo ad ea quae sunt, vel fuerunt, vel erunt producenda, determinatur ex proposito divinae voluntatis.* Ergo Dionysius non loquitur ibi solum de divinis ideis, sed etiam de decreto, & praedefinitione divinae voluntatis.

Confirmatur: Dionysius in praefato testimonio dicit quod Theologia hujusmodi ideas & exemplaria in mente divina existentia, *Praedeterminationes* vocat, & *divinas ac bonas voluntates, existentium praedeterminativas.* Et S. Thomas hunc locum explicans, ait: *Hujusmodi rationes sacra Scriptura vocat PRÆDEFINITIONES, & bonas voluntates, quae sunt distinctivae entium, & effectivae ipsorum; quia per hujusmodi rationes, supersubstantialis Dei esse PRÆDETERMINAVIT OMNIA, & produxit.* Sed ideae nude sumptae, cum non pertineant ad voluntatem, sed ad intellectum, non possunt appellari bonae voluntates; neque nomine praedeterminationis, & praedeterminationis insigniri, nisi considerentur ut determinatae, & applicatae ad certos effectus representandos & producendos, per decretum efficacis, & praedeterminans rerum existentiam, vel futuritionem, ut de se patet: Ergo D. Dionysius, & S. Thomas, in praefato testimonio, non loquuntur solum de ideis divinis, sed etiam de decreto praedeficiente & praedeterminante futuritionem, vel existentiam rerum.

## §. IV.

## Alia Sanctorum Patrum testimonia.

PRæter hoc celebre D. Dionysii testimonium, 107. plura alia ex Sanctis Patribus adduci solent nostris Thomistis, in ejusdem veritatis confirmationem. Insignis est locus Augustini apud Prosperum sententiâ 58. sic dicentis, *Divina voluntas est suprema causa omnium corporalem, spiritualiumque morionum: nihil enim fit visibiliter & sensibiliter, quod non de invisibili, & intelligibili summi Imperatoris aula, aut jubeatur aut permittatur &c.* Et in libro Soliloquiorum, qui in appendice tomi 9. habetur, cap. 26. sic dicitur: *Priusquam me formares in utero, novisti me, & antequam exirem de vulva, quidquid tibi placuit, praedidisti de me.* Et cap. 24. *Velle quod bonum est non possum, nisi tu velis.* Et 5. de civit. Dei cap. 9. dicit, quod *voluntates nostrae tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque praeservit.* Et ideo quidquid valeant, certissime valent, & quod facturae sunt ipsa, omnino facturae sunt. Et ibidem, ad designandam summam & infinitam divinae voluntatis efficaciam, & infallibilitatem, docet eam aliquo modo fati nomine appellari posse: ait enim. *Quapropter si mihi fati*



non alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem esse fatum inferioris potentioris voluntatem qui eum habet in potestate. Unde Boëtius 4. de consolat. prosa 7. hæc scribit: *Ordo fatalis ex providentia simplicitate procedit: sicut enim artifex faciendæ rei formam mente concipiens, movet operis effectum: ita Deus providentiâ singulari, singula movet, ac infallibiliter disponit faciendâ.* Denique idem Augustinus Tractatu 105. in Joan. ait: *Deus omnia futura prædestinavit.* Et Tractatu 68. *Deus fecit futura, ea prædestinando.* Et de Prædest. Sanctorum cap. 10. *Prædestinatione suâ Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus:* Deus autem non potest in sua prædestinatione seu decreto, actus nostros futuros præscire, nisi tale decretum sit de se efficax, & causans liberam nostræ voluntatis determinationem, subindeque eam prædeterminans, non verò futurum eius contentum & determinationem expectans, ut in Tractatu de scientia Dei ostendimus.

Disp.  
4.  
art. 4.

Denique idem S. Doctor, & invictissimus divinæ gratiæ defensor, lib. de bono persever. cap. 17. hæc scribit: *Si bona opera dantur à Deo, & se daturum esse præscivit, profecto prædestinavit.* Nomine autem prædestinationis, D. Augustinus & alii Sancti Patres, non solum transmissionem electorum ad gloriam, sed etiam divinæ voluntatis prædefinitionem & prædeterminationem, respectu actuum nostrorum liberorum significant, ut in Tractatu de scientia Dei ostendimus. Unde Fulgentius lib. 3. de verit. prædestinationis & gratiæ cap. 2. *Deus prædestinavit ad vitam bonam, prædestinavit ad vitam æternam, prædestinavit ad fidem, prædestinavit ad speciem, prædestinavit adoptandos in seculo, prædestinavit glorificandos in regno.* Idipsum etiam ingenue fatetur Molina infra quæst. 23. Disp. 1. ad art. 1. & 2. §. alii vero: ubi aliquorum Patrum recenset sententiam, qui prædestinationem volunt significare prædefinitionem ac præordinationem, eamque locis firmat Scripturæ, quos Latinus Interpret transtulit *Prædestinavit:* cum in Græco habeatur verbum *προορίζω*, quod est *prædestino, præscituro, prædetermino.*

Disp.  
6.  
art. 4.

§. V.

Testimonia D. Thomæ.

108. Divo Augustino concinit fidelissimus eius discipulus S. Thomas, qui variis in locis, eandem divinæ voluntatis prædefinitiones, apertissime docet. Nam quæst. 3. de verit. art. 7. ait in terminis: *Omnes effectus secundi ex prædestinatione Dei proveniunt.* Si omnes: Ergo nulli sunt qui non proveniant: Ergo etiam liber consensus nostræ voluntatis est à Deo prædefinitus, & non solum prævisus, & subjacet ordini prædestinationis, & non solum præscientiæ. Unde idem S. Doctor quæst. 6. de verit. art. 2. ad 11. inquit: *Hoc ipsum quod est velle, accipere gratiam, est nobis ex prædestinatione.* Et in hac parte quæst. 23. art. 5. expressè docet, quod non est distinctum id quod est ex prædestinatione, & ex arbitrio nostro: sicut nec est distinctum quod est ex causa prima & secunda.

Præterea idem Angelicus Præceptor 1. parte quæst. 115. art. 1. in corp. sic habet: *Ea quæ hic per accidens aguntur, sive in rebus naturalibus, sive humanis reducuntur in aliquam causam præordinantem, quæ est providentiâ divina.* Et quodlibeto 12. art. 4. subscribit sententiâ illorum qui

A dicunt, quod à Providentiâ Dei omnia sunt prædeterminata, & ordinata. Et in hoc sensu ibidem docet cum Augustino supra relato, posse concedi omnia subijci fato, dummodo nomine fati, intelligamus divinam providentiâ, omnia quæ fiunt in mundo, absoluto, & efficaci decreto præordinantem, & prædeterminantem. Et in t. ad Annibaldum dist. 37. quæst. unica art. 4. ait expressè, *A voluntate divina modum rerum producendarum esse prædeterminatum.* Item ad caput 39. Itaque in illa verba: *Nunquid non audisti quæ olim fecerim ei?* inquit ex Dei persona: *Malum pona, quod per ipsum inferre prævidi,* & prædeterminavi. Et opulc. 2. cap. 16. docet ex Athanasio, Incarnationem Christi esse factam, secundum prædeterminationem divinam. Item 1. ad Timot. 2. lect. 2. exponens illa verba Apostoli, *Cuius testimonium temporibus suis confirmatum est,* inquit: *Temporibus suis testimonium prædeterminatum erat fieri.* Et in hac parte quæst. sequenti art. 1. ad 1. solvens argumentum ex Damasceno dicente: *Omnia quædam præcognoscit Deus, sed non omnia prædeterminat.* Respondet quod Damascenus vocat prædeterminationem, impositionem necessitatis: sicut in rebus naturalibus quæ sunt determinate ad unum. Et eodem modo fatiscit 3. contra Gent. cap. 20. in fine, ubi ait: *Id quod docet Damascenus, quod Deus ea quæ sunt in nobis præcognoscit, sed non prædeterminat, exponendum est, ut intelligatur, ut quæ sunt in nobis, divinæ determinationi non est subiecta, quasi ab ea necessitatem accipiant.* Sentit ergo S. Thomas, decretum voluntatem nostram prædeterminans, non ad unum per modum naturæ, sed per modum libertatis, esse necessarium admittendum; alioquin frustra sic exphevisset Damascenum, imò nec debuillet illum interpretari, sed illius dictum absolute concedere.

Ex quibus testimoniis, fideliter & de verbo ad verbum relatis, intelliges quam parum veritati sine in lectione D. Thomæ quidam Recentiores, qui dicunt nomen hoc prædeterminationis, nullibi apud S. Thomam reperiri, sed à recentioribus Thomistis fuisse excogitatum.

Intelliges etiam, eosdem Authores immetitò hoc nomen rejicere ac despiciere, cum illud usurpetur, non solum à S. Thoma, sed etiam à D. Dionysio, Damasceno, Athanasio, aliisque SS. Patribus supra relatis. Imò S. Dionysius dicit, *sacram Theologiam:* Sanctus verò Thomas, *sacram Scripturam,* appellare rationes, seu ideas in mente Dei existentes, & per liberum Dei decretum, ad certos & determinatos effectus producendos & representandos determinatas: *Divinas & bonas voluntates, existentium prædeterminativas,* ut constat ex locis supra relatis. Et merito quod ille *sacram Theologiam,* istam scripturam dixit, nam tempore S. Dionysii, quæ erat alia *sacra Theologia,* quam Scriptura sacra:

Denique S. Doctorem decreti prædeterminationis admisisse, argumentum evidens est, quod ipse pluribus in doctrinæ locis, quæ in Tractatu de scientia Dei, retulimus, docuit scientiam Dei respectu futurorum contingentium, & actuum nostrorum liberorum, fundari in decreto, illi; ut medio niti: decretum enim Dei non potest habere rationem mediæ in quo certò & infallibiliter futura contingentia & actus liberos nostræ voluntatis cognoscat, nisi prædeterminans, seu